MISSALE DIOECESIS SALISBURGENSIS
Augsburg, um 1480/1500 Seite 71v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8446
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



dixit eis. Quando misi vos sine
sacculo et pera et calciamentis.
Numquid aliquid [illegible] defuit vobis.
At illi dixerunt. Nichil. Dixit
ergo eis. Sed nunc qui habet saccu
lum tollat similiter et peram. Et qui
non habet vendat tunicam suam et
emat gladium. Dico enim vobis.
quoniam adhuc hoc quod scriptum est
oportet impleri in me. et quod cum
iniquis deputatus est. Etenim ea
que sunt de me finem habent. At illi
dixerunt. Domine. ecce gladii duo
hic. At ille dixit eis. Satis est.
Et egressus ibat secundum consuetu
dinem in montem olivarum. Se
cuti sunt eum et discipuli eius. Et
cum pervenisset ad locum dixit illis.
Orate ne intretis in temptacio
nem. Et ipse avulsus est ab
eis. quantum iactus est lapidis et
positis genibus orabat dicens.
Pater si vis transfer calicem istum a me.
Veruntamen non mea voluntas.
sed tua fiat. Apparuit autem illi
angelus de celo confortans eum.
Et factus in agonia prolixius
orabat. Et factus est sudor eius
sicut gutte sanguinis decurren
tis in terram. Et cum surrexisset ab
oratione: et venisset ad discipulos
suos. invenit eos dormientes pre
tristicia. Et ait illis. Quid dor
mitis. Surgite et orate: ne in
tretis in temptacionem. Adhuc
eo loquente: ecce turba et qui vo
cabatur iudas unus de duodecim

antecedebat eos. et appropinqua
bat ihesu ut oscularetur eum. Ihesus
autem dixit ei. Iuda osculo filium
hominis tradis. Videntes autem hii
qui circa ipsum erant quod futurum
erat. dixerunt ei. Domine si percutimus
in gladio. Et percussit unus ex
illis servum principis sacerdotum:
et amputavit illi auriculam eius
dexteram. Respondens autem ihesus ait. Sini
te usque huc. Et cum tetigisset auri
culam eius sanavit eum. Dixit autem
ihesus ad eos qui venerant ad se prin
cipes sacerdotum et magistratus tem
pli et seniores. Quasi ad latro
nem existis cum gladiis et fustibus
comprehendere me cum cottidie vobi
scum fuerim in templo. et non ex
tendistis manus in me. Sed hec
est hora vestra et potestas tenebrarum.
Comprehendentes autem eum duxerunt
ad domum principis sacerdotum.
Petrus vero sequebatur eum a longe.
Accenso autem igni in medio atrio:
et circumsedentibus illis erat petrus
in medio eorum. Quem cum vidisset
ancilla quedam sedentem ad lumen:
et eum fuisset intuita dixit. Et
hic cum illo erat. At ille negavit
eum dicens. Mulier non novi illum. Et
post pusillum: alius videns eum
dixit. Et tu de illis es. Petrus vero
ait. O homo non sum. Et intervallo
facto quasi hore unius alius
quidam affirmabat dicens. Vere
et hic cum illo erat. Nam et ga
lileus est. Et ait petrus. Homo.